

tae, & ope glutinis tenuissimi, aquosi, pinguive, applicatae, fibram minimam faciunt, sunt minimae, simplicissimae, terrestres, vixque mutabiles per eas causas, quae in nobis viventibus deprehenduntur.

22. Quare in his(21.), separatim spectatis, nullus occurrit morbus, qui Medicis observatus, sanatusque describitur.

23. Sed in fibra minima, ex adunatis his (21.) concreta, morbi simplicissimi sequentes, (24. ad 38.) considerari merentur: sunt enim frequentes, & fundamenta jacint intellectui aliorum, licet praetervisi, vel non bene cogniti.

### MORBI FIBRAE DEBILIS ET LAXAE.

24. Fibrae (23.) debilitas vocatur adunatio partium minimarum (21.) cum nisu in cohaesionem tam parvo, ut vel illo levi motu solvi queat, qui Sanitatis effectu fit, vel non multum majori.

25. Hanc (23.) antecedunt: 1. impedita ingestorum assimilatio in naturam liquidi vitalis sani; quae debetur jacturae nimiae humoris boni, & inertiae virium solidorum in liquida; vel alimentis magis tenacibus sua indole, quam virium permutantium in corpore virtus est, 2. debili-

A 3 obseruatis lis

**I**lis nimium applicatio partis unius (21.) ad aliam, quae oritur a nimis debili motu liquorum, isque ut plurimum a defectu motus muscularum. 3. nimia distractio fibrae rupturæ proxima.

26. Producit autem facilem vasculorum ex his (24.) conflatorm extensionem, rupturam, in sua liquida contenta inertiam; unde Tumores ab distendentibus, Putrefactiones ab stagnantibus vel extravasatis liquidis, tum ea, quae ex binis hisce sequuntur, infinita.

27. Ex hisce (24. 25. 26.) praesens, futura, praeteritave noscitur: effectus praevidetur; & Curationis requisita perspicciuntur.

28. Haec enim obtinebitur: 1. nutrimento, in quo materies (21.) abundet, quodque jam fere ita praeparatum sit, ac in corpore sano & forti fit. Lac, Ova, Jura carnium, decocta panis bene fermentati, vina austera, primaria sunt. Quae parva copia saepe repetita sumenda. 2. aucto motu solidi & fluidi per frictiones; vectiones in equo, rheda, navi; ambulationes, cursus, exercitia corporis. 3. leni compressione vasorum liquidorumque repulsi. 4. medicamentis acido austerioris, aut & spirituosis fermentatis, prudenter, leniterque usurpati. 5. omni modo, quo nimia distractio tollitur.

29.

29. *Laxitas Fibrae* vocatur ea cohaesio partium (21.) inter se, quae parva vi potest mutari ita, ut fiat se ipsa longior; unde patet, hanc esse debilitatis (24.) speciem, & flexibilitatem inde pendere; adeoque haec omnia clare ex dictis (21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28.) intelligi, ut & imminutam Elasticitatem. Namque vitrum corpus fragilissimum, arte ductum in filamenta subtiliora araneae filo, cohaeret, estque flexible quaquaversum minima vi in omnes spiras, absque ruptura. Crescit pro subtilitate flexilitas. Ac. reg. sc. 1713. hist. 11.

30. Quin ex iisdem etiam respondeatur ad haec quaesita: Cur aquosa, & pinguia alimenta dant fibras debiles? Cur frigidis, junioribus, quiescentibus, crescentibusque debiles? Cur terrestria, austeraque dant fibras fortes? Cur calidis, exercitatisque fortes? Cur elasticitas robur concomitatur?

### MORBI FIBRAE RIGIDAE, ET ELASTICAE.

31. *Rigiditas fibrae* nimia est illa adunatio partium minimarum (21.), quae tam valide faciat eas cohaerere, ut non cedant illi actioni fluidorum, quae superare debet hanc resistentiam, ut maneat Sanitas.

A 4

32.